

B. 51.

IOAN. PETR. LVDEVVIG, ICTVS
**INSTITVTA
FEVDORVM,**

ET
CÆTERA, QVÆ APERTVRVS EST,
COLLEGIA

D. XI. MENS. APRILIS INDICIT.

IN FRIDERICIANA MDCCLXXI.



* * *

AD DIORIBVS SVIS

S. P. D.



Utodecim annos in Fridericia-
na vos doceo, neque vobis
fidem meam ullo unquam
tempore fefelli; ut collegia,
doctrinae ergo instituta vel
defererem ego vel abrumpe-
rem magis filum, quam ab-
solverem perficeremque. Praeterito semestri
cecidit res aliter. Ut adeo nunc redeundum sit
eo, unde tum fueram egressus. Ne industriae
vobis opinio evellatur, quam olim de me acce-
pistis. Vestris animis iudiciisque relinquo,
utrum venia dignus sim, qui inter quatuor fere
lustra in medio doctrinarum cursu vobis otium
fecerim intempestivum nonnisi semel. Idque
trimestri tantum spatio neque ob desidiam vel
languorem aliquem, quae vitia ab animo meo
sem-

semper fuerunt alienissima. Portenti instar sunt, quae insolenter fiunt. Imo, legum decretis, quae raro fiunt, non fieri creduntur. Quod cum ita sit, vestris forte calculis absolvar a poena temere facti *iustitii*. Verum o mei! ipse in acerbiorem in me sententiam ibo, & poenas dabo, desiderio bonorum forte neque ingratas neque inutiles. Scilicet earum doctrinarum cursum, quem mecum semestri praeterito ingressi estis, novo nunc instituto repetam & revocabo exordiarque iterum singula, id est, pro una mercede operas vobis praestabo iteratas. Sit enim, quod perdiderim egomet oleum impensasque, sat mihi praemii illud est, studium meum neque tum frustra in vos collocatum fuisse. Addo, quod rerum discrimina magistri sint, per quos & hominibus proficere licet & mentibus Christo sacris. Ut maximi faciendum sit, huius scholae aliquamdiu alumnus fuisse.

Vos itaque, auditores, repetite pristinos de me animos, certissimi, industriam studiumque meum in literas vestras mutatum non iri, quam diu id penes me steterit. Quod vero DEI numen bene vertat iubeatque feliciter evenire, post ferias

rias paschales doctrinas auspicabor, quae sequuntur.

INSTITVTA FEVDORVM *bora* (XI.) *undecima* beatae memoriae Icto, STRYKIO duce, comite autem veritate. Absit enim, ut in manes tanti viri, de rebus olim meis optime meriti, peccare velim, discessu quandoq; hic facto ab illius dogmatibus. Vivus dum esset, ipse ferre poterat, si libellum, succincte scriptum, in scholis meis nunc firmarem rationibus novis neque ex trivio petitis; nunc cum illustrarem testimoniis exemplisque, illis maxime, quae ex forensibus diversarum Germaniae provinciarum iudiciis, singulari studio conduxim; nunc adaugerem eundem quaestionibus momentosis, quae non raro ipse omiserat; quandoque etiam meo illum iudicio modeste sub examen mitterem relinqueremque deinde auditorum arbitratui, utrum mea amplecti malint, an pristina retinere. Et vero actum esset de studio meliorum litterarum & iurisprudentia liberiori, si oculis non suis videre liceret, verum alienis; imo si, quod Seneca explosit, pecudum more sequi oporteret antecedentium gregem, pergendumque esset non qua eundum est, sed qua itur. Accedit, quod scholae nostrae statuta dissensus
mo-

modestos collegarum adprobent faciantque fie-
legitimos, imo foveant illos, veritatis causa; tan-
tum abest, ut eosdem obtundant pessudentque,
Et quorsum faceret sumtuosus, quem in cliente-
laria Germaniae iura feci adparatus, si iuven-
tuti eundem recludere & aperire non liceret,
cuius gratia eundem ex omnibus patriæ angulis
congressi conduxique. Ut ex meis scholis non
tantum *Saxones* proficere queant, quorum iura,
post Longobardicum sive commune tractare
solent alii: sed etiam *Sueviae, Bavariae, Franconiae,*
Westphaliae, Pomeraniae, Meklenburgi, Holsatiae, Marchiae
Venedorum, Silesiaeque & quæ his provinciis vicinæ
sunt, inquilini, quorum omnium singularia sta-
tuta cum *doctrina communi* soleo conferre & ex-
plicare. Quod cum facio, non mirabimini au-
ditores, me *Feudali iuri* integrum semestre dare,
quod alii uno aut altero mense adducunt ad um-
bilicum. Neque tamen huius studii nimietate pec-
co, qui ad feudalia iura docenda sigillatim sum
vocatus, ut mea imprimis intersit, huius doctri-
næ, tantis dissensionibus, dubitationibus & tene-
bris irretitæ, proferri limites studiaque illius, me
duce ac doctore, in hoc lyceo efflorescere. Vix
conventus instituitur, ubi ab ordine nostro

respondendæ non sint feudales quæstiones. Vnde facile ad intelligendum est, quantopere se decipiant iuvenes, qui hanc iurisprudentiæ partem levi tantum brachio volunt tractare. Taceo causas feudales plerumque momentosas esse, ut ex victoria unius plus sibi promittere possit patronus causarum, quam ex viginti aliis rerum civilium. Idque præsertim in Germania ex illo tempore fit, ex quo prædia omnia landsassiorum nobilium, quæ quondam allodia fuerant, irretita sunt nexui clientelari, ut post *Holsatiam* (a) *Frisiamque* (b) non ullius meminerim provinciae, quæ pristinam hic conservavisset allodiorum integritatem. Barbare, sed vere scripsit *Albericus de Rosata* (c) circa ann. 1340. *Materia feudorum subtilis est & lucrosa, maxime partibus Germania. In quibus oriuntur ardua quæstiones inter reges, barones & prelatos. Cum ibi sunt maxima feuda civitatum oppidorum ac iurisdictionum. Cui post centum annos maiori iure subscripsit IASON* (d). Perdite itaque ageretur cum Ger-

ma-

(a) In *Holsatia* enim nobilium landsassiorum prædia omnia sunt allodialia; feuda autem quatuor tantum aut sex. Cum enim ista provincia duos habeat principes raro invicem conspirantes, fieri non potuit, ut Landsassii injiceretur iugum clientelare. Vnius enim principis hic cupiditatem studia alterius facile represserunt, coniuncta cum ordinibus,

(b) *Feltmannus* cap. 1. Feud. §. 4. p. 2. ait: *In Frisia & provincia Groningana Omlandia nulla feuda, eorum tamen notitia summe necessaria, cum absque ea jus publicum nequeat intelligi arg. 20. f. 7. Plenius & explicatius scripsit Huberus lib. 2. digress. c. 7. p. 546. Saxonia duces cum in Frisia rerum porerentur conati sunt nostraribus, habes patriæ insidias, ut prædia sua tanquam feuda vasalli a ducibus agnoscerent. Sed hactenus, caute prudenterque, libertatem gentis adversam habere: quæ adeo a feudaliibus seruitiis abhorrebat, ut unum duntaxat in tota Frisia feudum, ab ipsis Saxonibus fundarum reperiat. Quæ certe loca valde sunt memorabilia. Si enim Germanica nobilitas adeo provida fuisset, hodieque patriam haberemus a clientelis alienam.*

(c) In *reper. iur. Canon.* verbo *feudum*.

(d) In *præluclis feudor.* p. 19.

manis, si Italorum nobis exempla proponeremus ad imitandum, qui ius feudale tantum in feriis aut sabbathi diebus (e) docuerunt, id est, cursim opera subitanea. In regionibus Germaniæ feudalia iura non primis labris salutari debent, sed imbibi ac digeri, idque tam ab illustrium natalium iuuenibus, quam ab aliis ex civium sorte. Illi certe, dum vasalli ac clientes sunt, qui clientelaria iura ignorabunt impune? Hæ, quod maioris ordinis fora omnia perstrepunt feudalibus litigiis, instar medicorum solliciti esse debent, ut quo frequentius morbus in republica grassetur, eo etiam magis animum imbuant idoneis adversus illum remediis. Taceo, quod imperii feudorum instituta non minima pars sint iuris publici prudentiæ, quam huius studiosus nequeat præterire. Ut adeo iuris sive privati sive publici cultoribus, iuris prudentia fiduciaria per opus esse, videatur. Altera muneris mei pars me vocat ad

Institutiones Iustinianeas hora VIII. docendas, ea quidem methodo, ut facilis sim & demittam doctrinas meas ad captum elementis primum instituendæ iuventutis. In primis curabo, ut auditores iuris Romani animo imbiban analogiam sinceram, tam ex legibus, quam etiam rationibus, isti reipublicæ peculiaribus, erutam illustratamque. Ita enim pede deinceps inoffenso ire poterunt ad ampliores pandectarum apparatus. Contra, nisi iuris artus in numerato habeant ex institutionibus, rerum multitudine in *digestis* confundentur; afficienturque tædio iura discen-

(e) Jac. Alvarotus (ann. 1430.) in proœm. feud. p. 3, disputat, utrum ius feudale salva conscientia doceri queat festiviis diebus, quod sit plerumque a magistris. Et Franc. Curtius part. I. feud. præf. p. 2, diebus, quibus ordinariæ non legebatur, aggressus sum docere ius feudale, eo proposito, ut non desererem.

discendi, tantopere dispersa & adeo late patentia. Iun-
gam publicis scholas privatas in

Hoppii examen iuris Institutionum hora IV.
ut tyrones, quæ publice audiverunt, repetere mecum que-
ant privatim. Prætera

Germaniam principem iterum inchoabo ho-
ra II. quam hoc semestri curate fideliterque ad finem per-
ducam. Demum commentabor in

Iuris Publici prudentiam viri illustris, a Coc-
ceii. Alii enim doctores huius disciplinæ principia pe-
runt ex *Philosophia* practica, id est, ex ingenio; alii ad *Feu-
dalia* de regalibus instituta delabuntur; alii *exteriorum* reg-
norum formulas, in partes vocant; alii *Codicis Justiniani*
huc referunt decreta, quo errore lapsi sunt veterani; alii
rursus omne hic punctum dant *legibus Imperii*; iterum alii
sibi ipsis consulere nesciant, proptereaque congerunt *sen-
tentias* tantum aliorum atque in multitudine eorum quæ-
runt patrocinium; *solus Cocceius* rem acu tangit respicitque
ad formulam in primis *medii ævi*, post Carolingos. Habet
itaque Germania, quod olim manibus tanti civis elogium
scribat: *patriæ patriam* eius lucubratione restitutam fuisse.
Mihî libellum tanti pretii nemo de manibus meis excus-
serit: quamvis nullus dubitem, etiam loca quandoque
notare in illo, meis doctrinis parum concinna. Ceterum
mallem auditores nancisci paucos, industrios tamen & sele-
ctos, quibuscum via uti liceret recondita vereque acroa-
matica. Fateor enim, auditorum causa, multoties con-
sulum magis esse ad sensus docere, quam ad veritatem:
cujus tamen amor in me cum annis crescit, ut desiderio fla-
grem maximo, plurium animis illa patere, quæ videor
mihî vigiliis, impensis, ingenioque consecutus esse in patriâ
iuris argumento.

* * *

Af 364 a

ULB Halle


3


001 602 721



sb,







25

IOAN. PETR. LVDEVVIG, ICTVS
**INSTITVTA
FEVDORVM,**
ET
CÆTERA, QVÆ APERTVRVS EST,
COLLEGIA
D. XI. MENS. APRILIS INDICIT.
IN FRIDERICIANA CIŒCCXI.

